

veniamus animae cruciatum, expergiscamur aliquando,
 100 « Dum tempus est » et « Ecce nunc tempus acceptum, ecce
 nunc dies salutis. » Nunc enim est paenitendi facultas
 et tempus quo et fructus consequitur paenitens. Verum
 non haec solum quae diximus manent nos mala, quae in
 Gehenna perferemus, si neglegamus vitam nostram, sed
 105 est malum multo his gravius : excludi enim a bonis et
 alienum effici ab his quae praeparata sunt sanctis tan-
 tum generat cruciatum, tantum dolorem, ut etiam si
 nulla extrinsecus poena torqueret, haec sola sufficeret.
 Omnes enim Gehennae superat cruciatus : carere bonis
 110 quibus in potestate habueris perfrui.

11. Considera enim, quaeso te, statum vitae illius in
 quantum tibi considerare possibile est, ut enim vere est
 comprehendere, nullus sermo sufficiet, sed quantum pos-
 sumus ex his quae legimus et per aenigmata accepimus,
 5 tenuem quandam opinionem de ea capiamus. Dicitur de
 ea quodam loco quod « Aufugiet ibi dolor et tristitia et
 gemitus. » Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis
 metus, non aegritudinis, ubi nemo laedit iniuste aut
 laeditur, nemo irascitur, nemo invidet, nulla cupiditas
 10 exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris pulsat
 et potestatis ambitio, sed omnis vitiorum labes sopita et
 penitus extincta est. Pax cuncta continet et laetitia,
 tranquilla sunt omnia et quieta, iugis splendor et lux, non
 ista quae nunc est, sed tanto splendidior quanto clarior
 15 nunc est sol lucerna. Nulla ibi nox, nullae tenebrae, con-